

terariæ & popularis societas tantis labore incommotis, desperandam esse in scholis, quales nunc sint, earum conciliationem, qualem, qui vitæ humanæ consultum cupiant, votis exoptent.

Hic locus est, partes ubi se via findit in ambas,
Et vanum sequitur contraria studia vulgus.

Quodsi igitur prohiberi jam nequit, quominus, quemadmodum olim patres plebs romana, secessione facta, deseruit, nec nisi efflagitata tribunitia potestate in urbem redire voluit, sic a nobis desciscant popularis doctrinæ auctores, donec veteris patrocini vis moderata & cognita eosdem fortasse reducat; quid interim fiet apud nos illi tentatæ litteraturæ & popularitatis concordia? Tantisne ea laborat incommotis, ut ne hic quidem litterariæ & vulgaris doctrinæ vinculum diutius constare possit? Namque hoc alterum erat causæ momentum, quod, quam vim habeat, reliquum est, ut expendamus.

Scilicet hæc utriusque generis moderatio ipsa sibi adeo non satisfacit, ut vel manca sit, vel alterutrius partis necessario afferat jacturam. Res sane explicatu probatuque difficilis? Quicquid enim illius attigeris, ulcus est. Libere tamen, quid sentiam, respondebo.

Ac in universum res et causa mihi quidem videtur vocata fuisse in invidiam, vel utriusque partis nimio ardore & studio, vel ipsius consilii ambiguitate. Nam, ut ab hac primum exordiar, quo tempore philosophiæ popularis doctrina & usus h. e. omnis mathematicarum & physicarum disciplinarum ambitus, artiumque liberalium & omnis elegantia cum plebe communicatio primum late patere cœpit & suo æstimari pretio; res arrepta est cupidissime a quam plurimis diuturnam quasi sitim restincturis. Quod non ita intelligendum est, ac si tum uno haustu omne vulgus traxerit vastum illarum disciplinarum oceanum, aut litterati homines eum civibus omnem in compendiolis suis, tanquam in poculis, propinarint & infuderint. Sed, quod intelligere poterant e libris elementaribus, & vitæ humanæ commodis mirum quantum congruere videbant, id eorum quisque, ne tantis bonis & ornamentis diutius carerent, excerpit & in usus suos convertit. Quo major deinde honos habitus est & amplius statutum illis, quas dixi, disciplinis pretium, quod sane merebantur, eo magis etiam sibi plaudere cœpit illud vulgare hominum genus & jactare compendiarias suas copiolas, quas paulatim ipsi pro una, plena & solidiore eruditione venditabant. In quo decepit eos intelligendi facilitas. Nam, quod ipsi, jam facti homines rerumque usu quodam subacti & olim in scholis puerili institutione usi, nullo negotio comprehendebant, id puerilem aliquem ludum esse putabant ipsique tenerrimæ ætati accommodatum. Hortari igitur
jam